



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CXLI. Markgraf Otto vereignet einigen Frankfurter Bürgern eine Hebung
aus dem Zolle zu Frankfurt Behufs einer Altarstiftung in der Marienkirche
daselbst, am 28. Dezember 1366.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CXLI. Markgraf Otto verzeignet einigen Frankfurter Bürgern eine Hebung aus dem Zolle zu Frankfurt Behufs einer Altarstiftung in der Marienkirche daselbst, am 28. Dezember 1366.

In nomine domini amen. Ne ea, que geruntur in tempore, simul cum tempore elebuntur, necesse est ea scripturarum autenticarum memoria et fideli proborum virorum testimonio perhennari. Nos igitur Otto, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Comes palatinus Reni et Bauarie dux, Ad vniuersorum tam prefencium quam futurorum noticiam volumus deuenire, quod ob honorem et reuerenciam dei omnipotentis, gloriose genitricis sue virginis Marie et omnium Sanctorum, necnon ob iugem et perhennem Magnificorum principum Marchionum Brandenburgensium, predecessorum nostrorum felicium, nostri, heredum et successorum nostrorum animarum memoriam et ad instantem requisicionem et deuotam Supplicacionem Johannis, gerborgin et Margarete, filiorum hermanni Cok, quondam Ciuis Ciuitatis frankenuorde, necnon Johannis hokeman, fratris eorundem, dedimus, damus et solemni donacione donamus libere proprietatem Octo talentorum denariorum Brandenburgensium annuorum reddituum cum pleno iure sitorum in Theolonio dicte Ciuitatis nostre frankenuorde, singulis annis in duobus terminis, videlicet festo Apostolorum phylippi et Jacobi quatuor talenta, Super festo vero sancti Martini Episcopi quatuor talenta, de prefato Theolonio expedite et certo modo perpetuis temporibus soluendorum, Ad altare de nouo fundandum in Ecclesia parrochiali Beate virginis Marie ibidem in frankenuorde locandum, In honore sanctarum Marie Magdalene, Marthe et Cecilie virginum Sanctique prothomartiris Stephani conferendum, In quo prenominatorum Johannis, Gerborgin, Margarete et Johannis, ut prefertur, necnon progenitorum eorundem, heredum et successorum ipsis in affinitate et consanguinitate iunctorum haberi debeat memoria sempiterna. Renunciantes insuper simpliciter, libere et liberaliter, quoad dictorum octo talentorum proprietatem et libertatem, omni iuri, iurisdiccioni, accioni, impetitioni, exaccioni, seruicio, fructui, commodo et vtilitati, que et qua nobis, nostris heredibus et successoribus Marchionibus Brandenburgensibus in premillis redditibus hactenus competebant et competere possent aliquo modo in futurum. Recongnoscimus eciam per presentes, quod prenominati Johannes, Gerborg, Margareta et Johanes, interim quod vixerint, et postmodum ipsorum veri heredes ab eisdem legitime descendentes, habent et habebunt, poterint et debeant ad prefatum altare perpetuis temporibus, quocumque oportuno fuerit, personam idoneam presentare. In cuius euidentiam pleniorum Sigillum nostrum duximus presentibus Appendendum. Presentibus nobili Henrico, domino in kotbus, Strennuisque viris Hermanno de wlkow, milite, Cunczone de Slywen, Curie nostre Magistro, Johanne de wedel, dicto de Schiuelbeyn, Bernhardo hamborg, Cantore Ecclesie Lubucensis, nostro prothonotario, pluribusque aliis fidedignis. Actum et datum frankenuorde, Anno domini M^o CCC^o LX^o. septimo, Ipso die Sanctorum Innocentum.

Transumpt aus einer unten abgedruckten Urkunde vom 18. April 1367, wornach auch dies vorstehende Document nicht in das Jahr 1367, sondern in das Jahr 1366 zu setzen war. — Stadtarchiv VIII, 3, 99 a.